

clades magis deplorandæ sunt quam singulares. Sic M. Aurelius imperator moriens, flentibus suis dicebat: *Quid me fletis et non magis de pestilentia* (quæ tunc sæviebat) *et omnium morte cogitatis?* Capitolinus apud Baron. anno 179. Deinde peccata magis quam pœnæ lacrymis digna sunt. Ergo Christus communem calamitatem urbi et orbi imminentem, deinde peccata et supplicia iis decreta magis deploranda voluit. Hoc enim considerato, *beatæ steriles, etc.* quia non cogentur aspicere calamitates suorum filiorum. Tunc dicent perfidi Judæi (partim in obsidione urbis, partim in iudicio cuius illa typus erit) montibus: *Cadite super nos, etc.* q. d. mea ista mors, ad quam abripior, multo acrius feriet ipsos, quam me. Ratio est, quia *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum viride est frugiferum, et ad ignem idoneum, aridum vero sterile est et dispositum ad ignem. Si igitur lignum utile, nihil in se habens, quod igni debeat, ita excinditur; quid fiet ligno inutili et incendium commerito, quale sunt Judæi? Porro hoc etiam nobis dictum existimemus; si enim Christus insons pro aliena culpa tanta passus est, quid fiet nobis qui quotidie delinquimus? Quid damnatis in inferno.

VI. *Ducebantur et alii duo nequam cum eo ut interficerentur.* Factum hoc est primo a Judæis, ut latronum consortio Christus magis infamaretur, quasi socius vel similis eorum; quod recte expressit Lucas, cum eos vocat, alios duos nequam, mentem et intentionem Judæorum exprimens, qui ut Christum nequam facerent, adduxerunt illi alios duos nequam. Vide quam vere scripserit Isaias, c. XXXV. *Et cum iniquis reputatus est.*

Secundo: « Propter mysterium significationis (ait B. Bonav. in c. XXIII. Luc.) Nam per duos latrones secundum allegoriam intelliguntur duo populi, inter quos et pro quibus passus est Christus; unus scilicet Judæorum et alter gentium, qui recte latrones dicuntur, quia utrique Deo per superbiam in Adam voluerunt præripere dignitatem propriam. Sed populus Judaicus tamquam latro sinister adhuc blasphematur; gentilis autem confitetur et orat. » Quando igitur Christus pro nobis mortem patitur, *camus et nos et moriamur cum illo.* Nos enim pati debuimus quia nos deliquimus. Moriamur saltem compassione, tantum redemptionis beneficium nunquam obliviscendo; deinde moriamur vitiis, pro quibus occidendis Christus est occisus. Moriamur cum latrone penitente, peccata nostra agnoscendo, Christum innocentem confitendo, contra obtrectatores defendendo, ac denique invocando: *Memento nostri in regno tuo.*

§ XXV. — PERVENIATUR AD MONTEM CALVARIÆ.

I. Veniunt in Golgotha: 1. Sic vocatus locus. 2. Fuit extra urbem. 3. Fuit in monte Moria. — II. Dant ei myrrhatum vinum. — III. Gustat Christus et non vult bibere.

THEMA.

*Venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ.*  
Luc. XXIII.

Vidimus] superiore discursu multam turbam hominum utriusque sexus, comitatum esse Christum exeuntem ad supplicii locum, tametsi longe plures ex curiositate, quam ex pietate spectaculo illi aderant, ideoque sine doloris sensu et compassione. Nimirum sicut parvulus comitari sæpe videmus funus sui parentis, sine ullo doloris et rerum, quæ geruntur sensu, quia nesciunt quem efferant aut comitentur ad sepulcrum; ita omnis illa turba, paucis tantum exceptis comitabatur Christum, quem nesciebat esse Patrem, Dominum et creatorem suum, sine sensu et cura eorum quæ fiebant. Nos vero Christiani, non video qua ratione possimus excusari, si Christum Dominum quem vocamus patrem nostrum, exeuntem ad supplicium comitari noluerimus cum dolore et earum rerum, quæ ibi gerebantur contemplatione. Non ergo efficiamur parvulis sensibus, sed ut monet apostolus: *Excemus cum parente nostro, extra castra, improprium ejus portantes.*

I. *Venerunt in Golgotha, seu Calvariæ locum.* Locus hic primo vocabatur Golgotha, id est, Calvariæ locus. Primo, secundum Hieronymum, quod ibidem capita damnatorum truncarentur, et hinc eorum crania dispersa jacerent. Quæ sententia habet difficultatem: si tamen vera est, mysterio non caret. Ecce siquidem in loco ossium humanorum mortuus est Christus, ut sua morte vitam eis compararet; quod prædixit Ezech. cap. XXXVII. ossa arida scilicet vivificando in campo ossibus pleno. Ibi factus est sonitus petrarum, ibi commotio terræ, ibi accesserunt ossa ad ossa, cum multo mortuorum surrexerunt corpora.

Secundo, juxta multorum patrum opinionem, quod ibi Adam, primus hominum parens sepultus fuerit. « Ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, et in illo loco, qui dicitur Calvariæ locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est et resurrexit, » ait Origen. tr. XXXV. in Matth. Et S. Ambr. in Luc. *Congruabat, inquit, ut ibi vitæ nostræ primordia locarentur, ubi fuerunt mortis exordia.* Quasi ei

tunc dicatur: *Surge, qui dormis et illuminabit te Christus.* Ubi ergo jacuit saucius qui descendens ab Jerusalem in Jericho, inciderat in latrones, ibi offendit eum medicus, et infundens oleum et vinum curam ejus egit.

Tertio, mystice et propheticè secundum Cyrill. catech. XIII. quod ibi caput totius generis humani, Christus erat passurus.

Secundo, fuit extra urbem. Primo, ut intelligas: *Quoniam communis est hostia pro grege humano oblata,* ait S. Aug. ser. CXXX. de temp. Seu ut Leo, serm. de pass. IX. ait: *Ut crux Christi non templi esset ara, sed mundi.* Mortuus enim Christus: *Ut filios Dei qui erant dispersi, per orbem scilicet totum, congregaret in unum,* ut scribit S. Joann. c. XI.

Secundo, ut intelligamus, debere nos, si volumus participare fructum crucis et accedere ad Christum, exire extra castra mundi hujus, vitando pompam, luxum et fastum, amplectendo humilitatem, paupertatem, poenitentiam, persecutiones, ut dicere possimus cum apost. *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo;* quam causam ipse affert, ad Hebr. XIII.

Tertio, ut sciamus nos in hoc mundo non habere manentem civitatem, sed futuram inquire, quam etiam causam reddidit apost. ad Hebr. XIII. ex ejusdem facti typo, quo victimarum corpora cremabantur extra castra. Videmus similem in modum efferri unum post alium, extra urbes ad sepulcrum, et tamen nondum scire volumus esse nos peregrinos in hoc mundo.

Tertio, fuit in monte Moria, ut scribit S. Aug. ser. LXXI. de temp. et lib. XVIII. de civ. cap. XXXII. ex auctoritate S. Hieronymi, quem ait id certissime cognovisse ex senioribus Judæorum. Fuit autem mons Moria divisus in plures montes seu colles, qui præter nomina sua propria, uno generico nomine Moria vocabantur; quorum unus erat mons Sion, in quo arx David; alius in quo templum, teste Josepho, lib. I. antiq. c. XV. alius Calvariæ, in quo Christus passus. Recte autem in eo monte passus est, in quo Isaac immolari iustus fuit, Gen. XXII. Primo, quia immolatio Isaaci mortem Christi præsignabat, sicut enim aries immolatus est pro Isaac, ita pro nobis Christus; et sicut aries occisus est, Isaac autem vixit; ita humanitas Christi passa et immolata, divinitas nequaquam.

Secundo, quia Calvariæ mons est Moria, ob ejus etymo. Significat enim montem myrrhæ, visionis, doctrinæ; qualis etiam fuit mons Calvariæ ob mortis amarorem; ob admirandum spectaculum, quod in eo visum est; ob doctrinam Christi, qui ibi e crucis cathedra docuit nos *viam cæli.*

II. *Dederunt ei vinum myrrhatum cum felle mixtum.* Fecerunt hoc primo, ex recepto more, quo morte afficiendis dabatur vini potus in confortationem et consolationem atque oblivionem aliquam calamitatum. Hoc vero lenimentum, ne quid consolationis Christo præberet, destruxerunt myrrha et felle; ut etiam in hoc ostenderent cor suum erga Christum plenum esse felle odii et invidiæ. Ita nimirum omni solatio destitutus volebat esse Christus, quia luebat dolores inferni peccatoribus decretos, qui sunt dolores Acherontis, id est, sine gaudio.

Primo, ut ostenderent se ex vinea illa esse, quæ a Deo expectata est, ut faceret uvam, fecit autem labruscas, id est, immaturas et agrestes atque acerbas uvas: id prædixit Isaias, c. V. Imitantur istos et propinant Christo vinum felle ac myrrha mixtum, primo, Christiani qui fidem quidem habent, sed male interim vivunt: ore Christum confitentur, factis autem negant. Hypocritæ item, qui externam devotionis speciem interna malitia commaculant.

Secundo, qui bonis suis operibus perversas intentiones aliasque malas circumstantias admiscunt, v. g. eleemosynæ inanem gloriam, orationi voluntarias distractiones, jejuniis propriam voluntatem vel contemptum proximi, etc.

Tertio, hæretici, qui Dei verbo miscent errores, perversionem textus, pravos glossas, etc.

De his omnibus dictum est a Deo per os Jeremiæ, cap. II. *Quomodo conversa es mihi in prævum, vinea aliena?*

III. Cum gustasset, noluit bibere. Gustavit primo, ne videretur ex animi impatientia aut amaritudinis nausea respuere potum de more consueto datum. Itaque amore nostri etiam hunc fellis bolum devorare voluit.

Secundo, ut hoc amaro gustu mederetur gustui nostro nimium delicato, gulæ et ebrietati: ac nominatim gulæ protoplastorum, qui gustando pomum vetitum se suosque præcipitarant.

Tertio, ut doceret nos cum magna cautela et moderamine vinum bibere, in quo est fel luxuriæ, iræ, rixæ, etc. Item paucis et vilibus contentos esse, nec indignari, cum cibus insipidus, panis arctus, et aqua brevis nobis offertur.

Noluit autem bibere primo, ne videretur voluisse consopire sensus suos, quominus acerbitatem sentirent dolorum. Pati voluit Christus in illa hora tenebrarum, non relevari. Vinum autem illud tametsi ex una parte amaritudinem præbebat, propter fel et myrrham; ex alia tamen, doloris sensum poterat minuere, si exhaustum fuisset.

Secundo, forsitan ut sitis suæ ardorem in crucem reservaret. ubi omni dolorum genere me-

deri voluit omnibus nostris vitiorum morbis et sensibus depravatis. Visi, cum aspicere voluit afflictam matrem et milites ludentes pro veste sua; auditui, cum audire probra, cachinnos, blasphemias; gustui, cum sitire et potari felle; odoratui, cum fœtore loci vexari; tactui, cum affixus cruci pendere.

Tertio, mystice secundum Hieronymum, ut significaret se mortem quidem gustaturum, sed in ea non permansurum. Quod et nobis sua morte meruit, ut mortem tantum gustaremus, id est, temporariam tantum subiremus, non vero ebiberemus, id est, æternam non subiremus, ubi peccatores bibunt fœcem furoris Domini, et fœx eorum non exinanitur.

§ XXVI. — CRUCEM FILIO CUR DECREVERIT DEUS, ET ELEGERIT FILIUS.

I. Ut pœna responderet delicto. — II. Ut satisfaceret divinæ justitiæ. — III. Ut mors Christi magis innotesceret. — IV. Ut liberaret nos a maledicto. — V. Ut perfectum virtutum exemplar exhiberet. — VI. Ut ostenderet nobis amorem suum.

THEMA.

*Ibi crucifixerunt eum.* Luc. XXIII.

Quæret forsitan aliquis, quamobrem in ss. prophetarum oraculis nulla fiat mentio de Calvarie monte, in quo opus omnium maximum, redemptionis humanæ scilicet, peractum est; cum tamen aliorum montium, in quo Christus aliquid memorandum gessit, non obscura fiat mentio, veluti montis Thabor, Oliveti, Sion. Sed videtur mihi mons hic non omnino esse præteritus. Ad illum enim spectat, quod Gen. XXII. dixit Deus ad Abraham: *Vide in terram visionis, atque ibi offeres eum (filium) in holocaustum super unum montium, quem monstraverò tibi.* Oblatum fuisse Isaac in loco, ubi crucifixus est Dominus, supra vidimus ex Hieronymo. Hunc igitur locum digito notare videtur S. Lucas, cum ait: *Ibi crucifixerunt eum;* quasi alludens ad montem Moriam, de quo dixerat Deus Abraham: *Ibi offeres filium tuum.* Ibi alligavit Abraham filium suum unigenitum et posuit super struem lignorum: hic alligavit Deus Filium suum unigenitum et posuit super lignum crucis. Quemadmodum ergo dies extremi iudicii velut omnium celeberrima vocatur dies illa, ita mons Calvarie, præ omnibus celeberrimus unica voce, ibi recte, demonstratus fuit: ad quem alia etiam oracula non tantum alluisse videntur, sed et causas exposuisse.

quare Deus Pater supplicium tam atrox Filio decreverit et Filius elegerit. Quæ nunc ostenduntur.

I. Decreta et electa est crux; ut pœna responderet delicto, medicina morbo. *Ut unde mors oriebatur, canit Eccle. inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Primus Adam perdidit nos, cum ad lignum vetitum extendit manum suam: secundus Adam redemit nos, cum ad lignum execrabile extendit manus suas. Inobedientia in ligno perdidit, obedientia in ligno reparavit nos; et quia homo in ligno non obedivit circa rem facilem, ideo nunc in eodem obedire debuit circa rem difficilem. Denique sicut in illo ligno deliquerunt nostri parentes multipliciter: oculis, aspiciendo curiose fructum ejus; auribus, præbendo eas serpenti; manibus, decerpando fructum; ore, comedendo; lingua, fabulando cum serpente et se excusando; pedibus accedendo ad arborem, deinde fugiendo et se abscondendo a Dei facie: ita pœnas dedit Christus crucifixus, in oculis, aspiciendo de cruce non modo afflictam matrem, sed et carnifices pro veste sua ludentes, Judæos sibi insultantes, ficta geniculatione, etc. in auribus, tolerando probra et contumelias; in manibus ac pedibus clavos; in ore fel et acetum; in lingua sitim. Hanc causam indicat sponsus, Cant. VIII. dicens: *Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua.* Quæ mater nisi Eva? Quando est corrupta, nisi cum aures serpenti et pomum vetitum viro dedit? Ergo sicut Alphonsus rex quemdam equitem, qui ingens patrimonium per luxum absorberat, maximum insuper debitum contraxerat, corpore puniendum decrevit, frustra intercedentibus aliis, dicens: *Quoniam tantas opes corpori impendit, par est ut luat corpore:* Panormit. in rebus ejus gestis, similiter quia primi parentes tantum patrimonium in ligno prodigerunt, in ligno Christus fluit.

II. Ut hoc acerbissimo supplicio satisfaceret divinæ justitiæ, et ex hoc appareret ejus rigor, et enormitas peccati. Quia enim peccata hominum commoverant gehennam, cui nulla æquiparari supplicia possunt, ideo gravissimum supplicium Christo fuit decretum, quale erat crux, sive ignominiam spectes, sive cruciatum. Ignominiam ejus maximam colligimus ex eo, quod in ea pendens omnium pateret oculis essetque omnium probrum, quod integris sensibus continuo sentiebat, quamdiu vivebat. Unde mortuissima et lignum maledictum vocatur in ss. litteris, nec aliter habebatur a gentilibus. Cruciatum vero ex manuum et pedum transfixione, cuorum nervi continuo distrahebantur a penduli

corporis gravitate: deinde quia diurnus erat, et sæpe in aliquot dies poterat durare. Unde S. August. tract. XXXVI in Joan. ait: *Elegit extremum et pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem: de morte pessima occidit omnem mortem.* In hoc igitur execrabili supplicio ostendit nobis Deus, quam execrabile sit peccatum, quod Deum ad hoc adigit ut tam infami et diro ligno Filium suam affligeret. Et de hoc intelligit S. Bonavent. ser. de pass. Domini illud Psalm. XLVII. *Ibi dolores ut parturientis;* siquidem ibi Christus maximis cum doloribus spiritualiter nos genuit, et in ipso partu vitam perdidit. Hinc veteres Rabbini apud Gallatin. lib. VIII. cap. X. Messie passionem dixerunt similem futuram partui ob doloris vehementiam.

III. Ut hac ratione mors Christi omnibus innotesceret, veluti certa et indubitata (propter futuram ejusdem resurrectionem) ac pro salute totius mundi suscepta. Unde Lactant. I. IV. instit. c. XXVI. ait: « Extendit in passione manus suas orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet ab ortu solis usque ad occasum populum ex omnibus linguis et tribubus congregatum sub alas suas esse venturum, etc. » Et S. Achan. I. de incarn. « Par, inquit, erat, ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum, illa vero gentiles attraheret et ambos in se conjungeret. Id enim ipse dixit, indicans qua morte omnes redempturus esset. Cum exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham. » Ad hæc sicuti crux quatuor habet cornua in quatuor angulos divisa: ita significabat Christum a quatuor mundi partibus tracturum ad se homines, per suam passionem. De qua re scripsit Hab. e. III. dicens: *Splendor ejus ut lux erit. Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Cornua crucis, intellige cum S. Aug. I. XVIII. de civ. c. XXXII. et aliis. Ibi enim instar solis in alto conspicuus resplenduit et omnium corda calefecit, ibi cornua crucis in manibus, id est, potestate sua habebat: ibi abscondita erat fortitudo ejus, quia cum putabatur impotentissimus esse utpote affixus, potentissimus erat, vi nimirum Judæis et diabolo ipsi occulta, trahens omnia ad se, commovens terram, obscurans solem, aperiens monumenta, scindens petras, et movens ad pœnitentiam corda astantium, etc.

IV. Ut nos liberaret a maledictione, quam incurrit genus humanum, partim in Adamo, cui dictum est: *Maledicta terra in opere tuo* (Heb. *maledicta terra propter te*) partim in seipso ob transgressionem legis divinæ (scriptum est enim Deut. XXVII. *Maledictus omnis, qui non permanserit*

*in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*) propter quod aliquando audire debuissimus: *Ite maledicti.* Ergo ut nos Christus redimeret partim a maledictione Adami, partim a maledictione legis, cujus prævaricatione maledictum id incurramus, *Christus factus est pro nobis maledictum* (id est, maledictus seu execrabilis) quia scriptum est (Deut. XXI.) *Maledictus omnis qui pendit in ligno,* ut ait et docet apost. ad Gal. III. Quia ergo nulli alteri supplicio maledictum inferebatur præter quam ligni supplicio; ideo in ligno voluit Deus suspendi Filium suum, atque ita *maledictiones generis humani transposuit in Christum* (ut ait ibi Rupert.) ut nostrorum peccatorum maledictiones et execrationes in se expiandas susceperet sicque nos ab iis liberaret. Quo videtur respexisse Michæas, cap. IV. cum promittens Hebræis liberationem de captivitate primo Babylonica per Zorobabel, deinde diabolica per Christum, ait: *Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.*

V. Ut perfectum nobis virtutum exemplar exhiberet, earum præsertim a quibus caro et mundus maxime abhorrebant, quales sunt hæc quatuor: paupertas, humilitas, patientia, obedientia. Etenim noxia cupiditas divitiarum, honorum, voluptatum, dominationis et libertatis tam altas in animis hominum radices egerat, ut nisi Deus in seipso hæc omnia, quæ mundus tam avide quærebat, damnaret, impossibile foret ea extirpare. Licet enim homines aliqui harum virtutum exemplis præluerent, ii tamen minime sufficientes erant ad trahendum post se mundum, tum quia magnum non est homini natura imbecilli esse pauperem, humilem, pœnis subiectum et imperio; tum quia homo non est infallibilis certaque satis regula, quam cæteri tuto imitari possint. Dicere enim possent alii, istos insanire qui tam abjectas res sectantur. Quare crucem ascendit Christus quasi excelsam cathedram ut in ea nos doceret paupertatem imprimis, quia nudus ibi stetit, nec habuit quod haberent volucres et vulpes, ubi reclinaret caput. Secundo, humilitatem, quia instar malefactoris in medio latronum, loco supplicii publico et infami, in ligno execrando et maledicto. Tertio, patientiam, quia cum summis doloribus pependit tribus horis, cum maxima patientia et silentio. *Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, etc.* I. Pet. II. Quarto, obedientiam, quia in eo fuit obediens Patri usque ad mortem, licet ei æqualis esset. Nemo ergo in posterum horreat paupertatem, nemo probra et contumelias, nemo mortem et quodcumque mortis genus, nemo fugiat obedientiam:

quod si hæc mala essent, imo non salutaria et pretiosa essent, Dei Filius non assumpsisset. De hac nova Christi doctrina locutam arbitror sponsam, Cant. VIII. cum ait: *Ibi me docebis*. Vespasianus imperator dicebat, decere imperatorem stantem mori: quod et ipsi contigit inter manus servorum. At imperator noster Christus multo adhuc gloriosius stans in cruce super clavo ferreo obiit. Ibi ergo nos docuit animose aggredi mortem qualemcumque illam.

VI. Ut hujus supplicii specie et figura demonstraret nobis amorem et benignitatem suam erga nos, quam videlicet cupiat nos omnes esse salvos. Nam primo, expandit super nos brachia sua, ut ab ira Patris nos defendat, sicut aquila expandit alas ad portandum pullos suos, quamvis hoc discrimine, quod illa gestet pullos super alas suas, quia non timet illis desuper, sed ab infra tantum, quasi jaculum in se receptura ne pulli configantur; Christus vero timuit nobis desuper tantum, iram videlicet Patris sui, ideo expandit super nos alas, spiculum iræ divinæ in se recepturus. Deinde ibi instar gallinæ convocat nos sub alas suas sub rauca illa voce: *Sitio*, salutem scilicet animarum. Rursum ibi velut pater filii illius prodigi monstrat se paratum obvis ulnis ad recipiendum nos in gratiam et paternam curam suam. Denique instar matris ibi pandit ubera suarum miserationum, ut sine metu accedamus et pretiosum lac meritorum ejus pro libitu sugamus. Quo spectare videntur illa sponsæ verba Cant. VII. *Ibi dabo tibi ubera mea*. Ad hæc igitur ubera curramus, auditores, quamdiu patent ac fluunt. Erit enim tempus cum fons iste clausus erit: quemadmodum Joan. Apoc. I. vidit Christum ad iudicium venientem præinctum ad mammillas zona, quasi obligatis et clausis uberibus.

§ XXVII. — CRUCIFIXIONIS CIRCUMSTANTIÆ.

I. Crucifixus est in monte. — II. In medio terræ. — III. In medio universi. — IV. Facie ad occidentem versa. — V. Feria sexta. — VI. Hora diei sexta. — VII. In die paschatis, luna quarta decima, primo die azymorum.

THEMA.

*Erat hora tertia et crucifixerunt eum*. Marci XVI. Agnum paschalem typum fuisse Christi in paschate immolati, nemo est qui nesciat. Enim vero agnum totum edi præcepit Deus, Exod. XII. *Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis, in-*

*quit, nec remanebit quidquam ex eo usque mane: si quid residuum fuerit, igne comburetur*. Quod quid aliud significat, quam Christi passionem enucleate meditandam et singula ejus mysteria omnesque circumstantias accurate expendendas, ut inde nutrimentum animabus nostris paremus? Si quid tamen remaneat quod intelligere non possumus, id potestati Spiritus sancti humiliter reservandum, ait S. Gregorius, hom. XXII. in evang. Juxta hoc præceptum dabimus operam ut omnia, quæ circa agnum illum in cruce assatum contigerunt, avidè edamus, nec quidquam ex eo remaneat, quod capere possimus.

Si Judæos interrogemus quamobrem affixerint cruci Christum, cur in monte, cur in aere, cur aversa ab urbe facie, cur in festo et meridie, cur in medio latronum, etc. responderent se id fecisse ad majorem Christi confusionem et ignominiam. Sed si Christum interrogemus, aliter respondebit. Hunc igitur audiamus.

I. Crucifixus est porro in monte, ut in eo fœdus feriretur inter nos et Deum juxta morem antiquum, de quo ferunt potentes viros pro formanda pace, montem aliquem ascendisse, et ibidem agnum occidisse, quo scirent pari sorte sanguinem illius fundendum, qui primus fœdus initum rupisset. Deus itaque cum humano genere novum æternumque fœdus sanciturus, agnum immaculatum eduxit in montem et coram nobis mactavit, ut sciremus nos simili, imo atrociori modo puniendos, si rupto fœdere ab eo discesserimus. Sic impletum est mystice illud signum fœderis, quod dedit hominibus Deus in excelso aere, Gen. IX. *Arcum meum ponam in nubibus et erit signum fœderis inter me et inter terram*. Bene vero utrumque signum editum est in alto; iridis in nubibus, quia inde descenderat diluvium, Crucifixi in monte, quia de cœlo venerat maledictio et ira Dei in filios Adam.

II. In medio terræ juxta Ps. LXXIII. *Operatus est salutem in medio terræ*; videlicet tunc habitabilis, et medio non mathematico, sed morali. « Jerusalem enim (ut scribit S. Hieron. in c. V. Ezech.) a parte orientis cingitur plaga, quæ dicitur Asia; a partibus occidentis ejus quæ appellatur Europa, a meridie et austro Lybia et Africa, et a septentrione Scythia, Armenia atque Perside et cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est. » Primo, ut responderet crux arbori vitæ in paradiso, quæ in ejus medio fuit, quo omnibus æquæ esset obvia et accessibilis pro vitæ conservatione. Itaque crux in medio gentium posita est, ut sciremus, pro omnibus æquo jure passum esse Christum, omnibusque patere ac proponi venalem ejus fruc-

tum; sic petra salis in medio ovilis suspenditur, ut ad eam omnibus oviculis pateat par accessus.

Secundo, ut responderet ligno scientiæ boni et mali, quod etiam in medio paradisi fuit. Tale autem lignum crux est, docet enim quantum malum sit peccatum, quod Deum cruci affixit. Deinde quantum bonum sit paupertas, humilitas, obedientia, patientia, pro quibus docendis crucifigi Christus voluit, nobisque hanc lectionem in medio scholæ proponere.

Tertio, ut nos illi cor, quod est medium in microcosmo, demus, juxta id Proverb. XXIII. *Fili, præbe cor tuum mihi*. Et Cant. VIII. *Pone me ut signaculum super cor tuum*.

III. In medio universi, hoc est, inter cœlum et terram. Primo, quia ut aer in quo pendebat, commune est elementum, ita ut ex æquo omnes eum participant; ita voluit Christus passionem suam et fructum ejus omnibus esse communem. Ut ergo aer nemini deest, nisi volenti, v. g. mergenti se aut gulam sibi frangenti, ita passionis fructus nemini negatur, nisi volenti et eum pedibus calcanti.

Secundo, ut aerem sanctificaret et purgaret a dæmonum infestatione: quæ ratio est D. Athanasii, serm. de passione. Item Chrysost. hom. de latr. et cruce; et Aug. serm. CXXX. de temp. Sanctificaverat Christus aquas, cum in Jordane baptizaretur, et cum sicco pede super undas ambularet; terram, cum tota vita super eam ambularet; ignem sanctificaturus erat in die pentecostes; ergo nunc in cruce sanctificare voluit aerem, ut hinc intelligerent dæmones Christum ubique dominari et omnibus elementis, adeoque nullum deinceps locum esset tyrannidi ipsorum, nisi sub imperio et fræno Christi.

Tertio, quia ut aer mediat inter cœlum et terram, ita Christus mediator est inter Deum et homines, quemadmodum et natura ejus una celestis et divina, altera terrena et humana.

IV. Facie ad occidentem, dorso ad civitatem verso. Primo, ut occidentalem plagam et Romam, ubi Ecclesiæ suæ petram inseparabilem colloaturus erat, benediceret.

Secundo, ut a synagoga et metropoli Judæorum se averteret, juxta id Jerem. XVIII. *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*. Quia enim Judæi ita studio crucem constituerant, ut in ea Christum faciem a civitate averteret, quasi ejus aspectu indignus esset, ut observant S. Joann. Damascenus, l. IV. de fide orthodox. c. XIII. Franc. Lucas et alii: hoc ipso meruerunt, ut eveniret, quod voluerunt, et averteret ab eis Christus faciem gratiæ suæ.

V. Feria sexta. Primo, quia illa die, sexta sci-

licet mundi, creatus fuit homo; ergo in eadem convenienter recreatus est, quamvis magno discrimine. Nam creatus est sine labore, redemptus vero maximo labore. Quam ob causam Deus quasi consultabundus inducitur a Moyse ad creationem hominis accedere, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Facile enim erat creare illum, sed difficile reparare, quem lapsurum esse prævidit, ut observat ibi Pererius. Ibi Deus formavit hominem, hic Deus deformatus est ab homine; ibi Adam accepit a Deo spiraculum vitæ, hic Deus expiravit; ibi Adam in paradiso positus est, hic Deus e mundo et civitate ejectus; ibi ad vitæ arborem extendit Adam manum, hic ad lignum extendit Deus brachia.

Secundo, quia ea die de communi patrum sententia Adam et peccavit et e paradiso ejectus est; ergo bene eadem die est reparatus et in paradysum reductus, quod primo factum in latrone. Merito igitur Christiani hunc diem in honore habent et abstinentia sanctificant, qui in eo creati et recreati, lapsi et reparati, e paradiso ejecti et in eum reducti sunt; in eo mors invecta, et rursus eliminata est; in eo Scripturæ impletæ, infernus spoliatus et paradysus est apertus.

VI. Hora diei quasi sexta, ut scribit S. Joannes. Quod enim S. Marcus, hora tertia crucifixum esse ait, intelligendum de hora orationis, non diei. Horæ autem orationis erant, prima, tertia, sexta, nona; quarum unaquæque continebat tres horas, quemadmodum et unaquæque noctis vigilia. Ergo sub finem tertiæ et circa initium sextæ Dominus crucifixus est. Primo, quia circa eandem horam, tempore scilicet meridiano, peccarunt et perdiderunt nos parentes primi: et quo tempore diei Christus obiit, eodem ejecti fuerant illi de paradiso; siquidem ad horam post meridiem deprehensi et reprehensi sunt a Deo.

Secundo, quia sicut tunc in meridie sol ascenderat summum cœli, et inde summum calorem terræ impertierat: ita sol justitiæ Christus cum ascendit crucem, summum amoris gradum attigit, quo nos omnes calefacit, et amore sui inflammavit, certe inflammare debuit, juxta id Ps. XVIII. *Occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus*. Et ibi eum sponsa invenire desiderabat, Cant. I. *Indica mihi, ait, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam, etc.*

VII. In die solemnii paschatis; quia Christus erat agnus immolatus pro toto mundo, qui per eum liberandus erat de servitute Pharaonis, id est, diaboli, et ab angelo percutiente.

Item luna quarta decima, seu in plenilunio